ANIMADVERSIONES QUAEDAM DE ARTHRITIDE ET PODAGRA QUAS AD MEDICINAE...

Giuseppe Roccato

34

ANIMADVERSIONES QUAEDAM

DE

ARTHRITIDE ET PODAGRA

QUAS

AD MEDICINAE LAUREAM

RITE ASSEQUENDAM

DIE XIV FEBRUARII ANNO MDCCCXXXIII

IN CELEBERRIMO AC PERVETUSTO

ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PUBLICE EXARAVIT

JOSEPH ROCCATI

DE GAVELLO

IN POLLICINIENSI PROVINCIA

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXIII.

FRATRI AMATISSIMO

JOANNI ROCCATO

MATHEMATICAE DOCTORI

D.

Primum hunc fructum scholasticorum laborum, quem, ut omnimode istorum proximam metam attingam, in lucem edere ex officio cogor, nescit animus alii, quamquam plures adessent, dicare praeterquam tibi, Frater mi dilectissime, cujus in me fratris non modo, sed paene parentis amorem expertus

754

sum et experior. Oh utinam tantae artis, quam profiteri mox mihi datur facultas, arduo quidem in exercitio, tuam in tua praxi felicitatem forem consecuturus! Omen interim atque donum quibus offero ingenuis gratisque sensibus accipe et vale.

AUCTOR.

In immensa paene argumentorum serie et copia quaestionum quas scientia nostra suppeditat, cum et ego aliquam proponere debeam ut officium in laureae bonoribus petendis exsequendum absolvam, in maxima inter seligendum dubitatione versari conatus sum an sermn inde eruendus aut meis viribus impar aut minus ob vestrum oculos, Director et Professores amplissimi, auditores humanissimi, poni dignus esse posset. Ex casu practico tandem in clinico Instituto observato rem disserendam mihi proposui, et quidem aliquid de artbritide et per analogiam de podagra animadvertendum. Quidquid itaque e tirone adhuc calamo conabor edicere, humanitata et gratia qua vestra insignitur sapientia, accipiatis ante omnia precor quaesoque.

Ac primum cum de artbritide verba facienda sint, acuti illius morbi historiae scbema quoddam praemittere lubet, ex quo morbo meis peculiariter observationibus tradito atque illustri magistro pr. opt. Federigo duce mihi facto, apta mihi obtulit se occasio quae sequuntur eliciendi accurate.

Vir quidam patavinus annorum viginti octo, corporis habitum sanum atque robustum, et sanguineum exhibens temperamentum, morbi de quo agimus, sistit subjectum. Aetatis toto illius curriculo nonnisi variolas infans ac pneumonitidem juvenis perpessus est, quae convenienti methodo pertractatae nihil molesti reliquerunt. Ineunte vere anni praeteriti, vicissitudines aeris violentas incusans quibus famulus objici necessum habebat, dolores in pedum digitis primum, deinde in genu irrepentes, postea in articulo pelvis cum femore utroque in latere sensim sensimque increscentes persensit. Brevi manus ipsi obsederunt, cubitos inde ac prope scapulas, et demum colli ipsius motus et dorsi interceperunt ita ut, statuam veluti immotam totum illius corpus referre videretur. Brevi pariter febris comes apparuit propriis phlogisticis symptomatibus comitata; ex quibus omnibus quisquis conjicit, extra dubium agi de arthritide acuta statutum illico fuisse.

Quadam interea ratione morbus hic inter morbos a nobis recensitus acutos, talem habuit decursum, ut quadraginta diebus et amplius praeteritis primo intuitu quasi chronicus videretur. Quaestioni praemissae statim oppori aequum videtur a variis causis pendere posse morborum longaevitatem, quin chronicae indolis habeantur. Inter has eminet primum ipsius morbi natura, hinc curationis methodus non satis ordinata at activa, qualitas demum partis, organi aut textus morbo adfecti.

Et quoad primam diuturnitatis morborum causam, exemplo sit arthritis v. gr. quam a causa occasionali syphilitica vocant. Morbus hic confirmatae labis semper effectus, cuicumque et quantaecumque methodi rationi fere semper resistere solet, aut specifico celebratissimo vinci pro tempore simulat, dum recidivis pertinacioribus ortum dare se comparat. Praeterea si de phlogisticis morbis generatim loquamur, nulla methodo adhibita vel tarde aut parum activa administrata, modo ruunt in praeceps, modo vero processui singula intervalla protracta aetatem morbi producunt, vim quoque ipsius ac pertinaciam adaugendo. Atqui nostro in casu morbi natura plane cognita, inflammatoria quidem a causa rheumatica procedenti, cum esset in promptu conveniens therapia praecipitem cursum antevertere nobis dabatur, et cum curativae ipsi methodo indulserimus, statim ac, dici potest, evolvebatur morbus, septima nempe die post quam mitissima ingrueret febris, symptomatibus violentioribus sub initio curationis inceptae, ideam status illius in quo morbus chronicus appelletur, excludimus. Patens igitur mihi videtur non ab intima morbi natura plane nota et apta methodo facile expugnabili diuturnitas ac pertinacia ipsius repetenda esse.

Si cui vero inactivae methodi insufficientiam arguere placeat, huicque inconsulto quem tractavimus morbi longaevitatem esse tribuendam, pateat ultro ei summa administrationis nostrae. Viginti dierum spatio, in morbi scilicet incremento

et statu, quinque in primis cum dimidia sanguinis librae per quinque phlebotomias extractae sunt: sexaginta sex stibiati tartari grana eodem tempore in diaphoreticis infusis epicratice sumpsit aeger; praeterea undecim supra tercenta grana sulphuris aurati antimonii, nec non centum et decem extracti aconiti napelli, intereaque solventea aliquando potus et aliquando purgantia remedia juxta rerum circumstantias, diaeta semper austera praescripta. Quis nunc plenissimam istam methodum curationis redarguat inactivitatis, quae pro causa habeatur supra quaesita?

Nunc restat considerandum quare qualitas organicae partis adfectae in causa diuturnitatis morbi esse posset. Res est jam nota omniumque observatione extra dubium posita, textus illos animalis oeconomiae qui minori vasorum sanguineorum numero etque nervorum praediti sunt, difficiliorea inflammatu esse, sed cum phlogosi tandem adficiantur, quot minas haec struit, totidem curatu rebelles evadere ac obstinatos. Textus hi vasorum nervorumque inopes, textus albi vocantur vulgo, inter quos recenseri volumus tendines et aponeuroses, nevrilemmata atque vaginas, ossa propter duritiem, sed capsulas praesertim et ligamenta, quae adparatum articulorum conficiunt, et cartilagines demum quae miram articulationum absolvunt fabricam. Cum quibus ut causa confligit apta phlogosim excitare, primum sanguis sedem stimuli versus tendens has petit partes, quae cum strictae sint in propria texturs, et ex mini-

mis sint vasa permeanda, difficillter hunc humorem recipiunt, ac propriam dilatationem admittunt. Ex hoc fit quod vis distrahens major opus sit quam in ceteris partibus, ut effectum quem ceterae partes ita concipiunt, istae consequuntur. Hinc major ex majori causa topica perturbatio debet exsurgere; unde dolor major, major partium distensio, compressio, earumque relativa immobilitas. Verum quocumque impedimento fracto cum processus phlogisticus jam suam ibi fixerit sedem, propterea quod illa vascula quae physiologico in statu partem sanguinis rubram permeare non sinunt, pathologice mox sinunt, rubor tumorque resultant propria inflammationis signa, quae ideo cum praenotatis indolem morbi ultro designant. Nec insuper praetermittam frequens esse hisce in casibus, praeter acutam sub isto processu actionem omnimodam, decompositiones in cavitatibus fieri articulorum novaaque principiorum compositionea, illorum nempe quae propria sunt textuum et quae per processum praesentem renovantur, mutantur, aliunde vocantur; ex quo indurationes molliorum partium, emollitio durarum, internae excrescentiae, effusiones, adhaesiones, contractiones, articulorum anchyloses, hydropes oriuntur et cetera. Quorum omnium elaborationis ratio, temporia quoque insumendi in morbi earum partium decursu longam sane mensuram evincit.

Praeterea ex eo quod textus, de quibus est sermo, minimis tantum vasis sanguineis parvoque il-

lorum numero ac nervorum insigniuntur, aliud etiam posse concludi videtur, lenta nimirum illorum ad pristinum statum remissio, cum phlogosi semel adfecti fuerint. Etenim inflammatis textibus vascula propter regressum sanguinis dilatata, cum sanguis ipse sub phlogosis finem effluere cesset, nequeunt ob nimiam distensionem passam tunicarum sua natura stipatarum gradumque vitalitatis minorem ad naturalo lumen proprium canale reducere. Ob has item rationes eadem vascula pathologicam conditionem diutius ferre videntur, tumorem praesertim, rigiditatem ac distensionem. Sed ab eorum difficili ac diuturna ad statum pristinum reductione consequitur etiam exhalantia vasa in protracta eorum dilatatione continue principia excernere debere, quae aliter non excernerentur quaeque partium contingentium naturam simulant at organicos modos, sed a norma abludentes, quorum exempla praestant hydrartos, pseudomembranaa, concrementa calcarea etc. Propter quod eo magis doloris, tumoris atque ad motum impotentiae diuturnitas confirmatur, tardus nempe in artbritide resolutionis exitus, etiamsi exitus per idoneam medendi methodum atque utili tempore administratam evitandi sapienti medico detur potestas.

Concludere ergo fas mihi rite videtur non a morbi natura neque a metbodo curationis adhibita, sed ab indole partium adfectarum, morbi de quo pertractandum suscepimus, derivandam esse longaevitatem.

Ex hoc interim charactere longaevitatis quo arthritis solet quamvis acuta designari, podagram cum arthritide comparari posse crediderim, quae ab illa aliquo tantum modo differre videtur. Arduum sane ac paene impossibile esset hanc pro me sententiam defendere, cum simul pudeat celeberrimorum virorum ita parvi facera auctoritatem, ut potius contemptor quam illorum admirator videar. Una mihi mens est conjicere cum ducibus artis magistris, utrum podagrae symptomata per effectus processus phlogistici possint explicari.

Podagra uno verbo definiri non potest, sed juxta id quod vocabulum indicat, est morbus quo ab initio pedum articuli corripiuntur ac postea articuli ceteri fiunt participea.

Solet hanc anteire per aliquot fere semper dies, nonnulla symptomata quorum praecipua ex ventriculi conditionibus, ex habitu corporis et inferiorum corporis extremitatum petuntur.

Functiones nimirum stomachi turbantur praesertim, ac aegri in praecordiorum regione incommodum molestum patiuntur difficiliter definiendum. Corpus totum saepe tumor obruit aere veluti conflato, quem rigor universalis ac motus spasmodici comitantur. Universalis item comes est mala conditio cum somno praecipue valde turbato et interrupto.

Frequens crampus, senailis in toto corpore rigor, puncturae quaedam fortiorea hic et hic in artubus inferioribus. Videtur aegro ventus veluti

quidam per coxendices descendere, ac in massis carnosis adfectionis spasmodicae species titillare. Venae apud partem morbo jam jam corripiendam notabilem offerunt dilatationem, quod, ut ait Baglivius, veluti guttae prodromum haberi solet. Saepius pariter accidit, ut una prorsus vel duabus diebus antequam aegri morbo hoc corripiantur, fames exsurgat vehementior; tum aliquando insolita absque manifesta ratione adpareat laetitia.

Nonnulli etiam ex hisce aegrotantibus tempore prope morbi invasionem violento ad coitum desiderio captantur.

Prima processus morbosi signa non raro sed fere semper nocturno tempore depromuntur, post aliquot horas quietis et somni. De more item ingruit dolor majoris pedum digiti articulos obsidens ceteros non multo post aggressurus. Hic per intervalla recurrit et varius; modo enim tensionis, modo puncturae, modo ponderis aliusque effectus sensum referendo: saepe etiam, teste Sydenhamio, aquae frigidae sensationem ostendit quae parti adfectae superfluat.

Frigore atque tremoribus aeger alterna vice corripitur, quos illico dolores acuti magis magisque increscentes sequuntur. Solet hinc febris doloribus esse pedissequa cum pulsu pleno, duro ac tenso, cujus febris violentia dolorum gradui respondet.

Primus hic febris accessus atque dolorum usque ad orientem diem et interdum per viginti quatuor horas produci solet. Quo mitescente, universa cutis humida fit, sicuti quae partem tegit adfectam

aub doloribus arida et sicca. Hinc placidus subse. quitur somnus, pone quem in parte tumor, calor et rubor notantur.

Evanescente penitus primo illo guttae accessu, quotidie sub vesperas in toto morbi decursu doloris augmentum ac motus febriles sequenti mane effugientes aeger accusat. Decursus autem hujusce morbi similium indefinito numero accesionum conflatur, et eo minus producitur, quo fortiores dolores saevierunt: duabus itaque et tribus pluribusve absolvitur hebdomadibus.

Saepe saepius in podagrae decursu successive et alterne affectio morbosa ab uno pede in alium transfertur; et simul progressa potest alios articulos praesertim manuum obsidere, et quovis in casu accessus perficit more priorum desinentes.

Ab initio usque ad finem aegri prostermitur appetitus, venter clauditur, manes recurrunt premitus levesque, urinae rubrae emittuntur hypostasim deponentes. Insuper, juxta Staal observationes, saeviente morbo ac tum praesertim cum ad finem accedit, compressionis quaedam sensatio et coarctationis in musculorum textu ad artus pertinentium, ex qua motus edere involuntarios coguntur, ab aegria accusatur.

Insultus podagrae talem servantes decursum, longissimis primum inter se distant temporis intervallis, eo usque interdum, ut appareant duobus, tribus, quatuorve annis post; sed frequentius dein redeunt, ita ut bis etiam in anno recurrant, sub primo atmosphaerae veris calore praesertim.

Tum sese excipiunt accessus, tum producuntur et intervalla, minusque regulariter aegri cruciantur. Cruciantur minus quidem aegri hac in epocha propter dolorum mitiorem gradum, attamen constans magis et anxius internus malus habitus illos distorquet. Habituali tandem accessus conditione inducuntur, cujus gratia nonnullis solummodo anni mensibus doloris cruciatu vix immunes evadunt podagrosi.

Denique post quasdam se iterum iterumque excipientes podagrae accessiones in articulis deponuntur aut secernuntur concrementa, dura et fixa densum humorem continentia, aut etiam cretaceam substantiam praeseferentia, ex qua tophi ortum habent. In ipsis articulorum capsulis ista insident corpora et etiam in externis prope capsulas textibus efformata inveniuntur.

Inter causas podagrae observatur primo quod morbus est plerumque congenitus. Viros praediligit virosque corpore pingui robustoque insignitos: quorum praecipue caput et ossa in genere magis sunt evoluta et crassa, similemque articulationes exhibent structuram atque volumen; qui demum temperamento cholerico-sanguineo notantur.

Errores diaetetici insuper podagrae favent evolutioni, inter quos eminet nutrimentorum abusus cum modico corporis exercitio conjunctus, unde morbus epulonum vulgo dicitur podagra. Huc recensentur pathamata fortiora et violenta, hominum vitae pariter vitia et inquinamenta qui-

bus senium et vitae ipsius finis properatur. Referuntur etiam potus et alimenta quaedam quae morbi istius evolutioni favent et quorum abusus illum reddit saeviorem, uti sunt vini meraci abusus et abusus liquorum spirituosorum, alimentorum et potuum qui aut mucilaginosis principiis abundant, aut calcari terra, et, juxta Scaligeri observationes, casei quoque abusus est hic enumerandus.

Inter ea porro quae solent podagrae evolutionem antecedere, exercitationum ponenda est interceptio quibus jam diu homo adsuevrat: adscribuntur etiam veluti causae fortiores eae cunctae quibus ad articulos transpirationis cutaneae gignitur anomalia. Podagra enim secundum Boerhaavii observationes illos saepius afficit qui pedes humido et frigori expositos absque ulla cautione calefacere et exsiccare solent.

Quoad guttae remotos effectus Barthez opinatur, illius regulares accessus ad germina fortiorum morborum tollenda utiles evadere propter moderati regiminis legea quas in guttae accessu aeger cogitur servare, et propter evacuationes criticas quae illos accessus concludunt. Hac solum ratione nititur (quantum potest) opinio, quod humanae vitae confinia producere valeat podagra. Attamen cum accessus fiant irregulares diutiusque saeviant, verendum sane erit ne viscera nobiliora oeconomiae animalis corripiat vitamque cito pessundet et obruat.

Magnam dissimilitudinem putat Staal inter eam

quae juvenes et eam quae adultos aetate afficiat, podagram interesse, animadvertendo illos longaevitatem non tangere et plerumque febribus inflammatoriis aut hecticis, haemorrhagiis etc., istos vero marasmo aut simplici aut cum hydrope juncto, adfectionibus apoplecticis aut paralyticis etc. enecatos et consumptos obire.

Quamplurimae de hujusce morbi genesi ac indole opiniones hactenus exstiterunt, quas arduum et fere inutile esset hic, clarioribus exceptis, referre.

Cullen diathesim podagrosam excogitavit adfectionem esse systematis nervosi, quae sanguifero communicata inflammatoriam guttae conditionem gignere valeat, statuens in individuo ad hunece morbum prono aetatis periodum peculiarem ultra trigesimum primum annum, qua decurrente periodo, universa ejus vigoris plethoraeque conditio quandam in extremitatibus toni patiatur jacturam, quae in totum systema determinate tamen transfunditur. Si tale acciderit detrimentum, dum vigor adhuc insignis adsit in cerebro, tunc ut partibus illius robur restituatur, nisus naturae multiplicat, idque efficit in aliquo extremitatum loco inflammationem excitando.

Boerhaave a spiritus seu fluidi nervosi perturbatione morbum hunc pendere putavit, qua ultimae digestionis sive humorum adsimilationis vitium generatur.

Stoll causam podagrae proximam esse humorem quemdam biliformem sive atrabiliarem protulit, qui

in sanguine (praecipue systematis venae-portarum) congeritur, quique in circulum ducitur usque adeo, ut arthriticam febrem excitet depuratoriam.

Pietsch generatim defendit causam proximam podagrosae diathesis liquorem esse spermaticum, in organis generationis jam infirmatis eo quod humor non evacuetur, male elaboratum, et ex vesiculis seminalibus resorptum et in sanguinis massam translatum.

Barthez guttam gigni credit a constitutionali solidorum fluidorumque dispositione cum debilitate correspondenti conjuncta partium ad ossa prope articulos pertinentium, periostii nimirum, ligamentorum articularium, tendinum in ossibus insertorum etc.

Quas clarorum virorum sententias nec mens est impugnare, neque quantum a veritate longe sint, definire. Verum illorum pariter ac neotericorum observationibus utar, eo ut si fieri, et quantum fieri poterit, istius morbi artuum inferiorum articulos obsidentis et praecipue pedum, aut saltem in hisce suam patefacientis evolutionem, symptomata cum illis conferens, quae nota phlogistico-byperathenica eminenti artbritidis designantur, aliquem analogiae gradum inveniam inter morbum penitus naturae cognitum aliumque cognitu atque curatu difficilem.

Celeberrimo itaque philosopho ac medico caesenate duce de natura alicujus morbi definienda argumentum triplici fundamento inniti statuimus, quod nempe causarum dignoscatur indoles, sym-

ptomatum indoles pariter innotescat, et ratio a juvantibus et laedentibus inquiratur et elucescat.

Quapropter ad primum criterium quod attinet aetiologiae podagrae, praedispositio negari non potest, quae sicuti acquiri potest vita progrediente, hereditaria quoque a vix non omnibus renunciatur pathologis. Eodem pacto ad arthritidis evolutionem acquisita praeponi debet aut hereditaria praedispositio. Immo praedispositio haec postrema ad arthritidem cum illa ad podagram commutari et confundi aliquando observatur, dum natos a parentibus qui podagrosa diathesi fuerint confecti, sincerae arthritidis damna per totum vitae decursum perpessos dumtaxat fuisse testantur artis magistri, et viceversa. Praedisponens igitur causa utriusque adfectionis brevi tantum hoc observationis specimen simili natura gaudere clare propemodum videtur.

Procatharticas vero causas, ut proximus idem aut similis evinceretur effectus, cunctas quibus podagra suam debet evolutionem, ad stimulantium classem revocari demonstrare oporteret, ut illius cum arthritide hac ratione quoque probetur similitudo. Sed si parumper superius relatam aetiologiam guttae intueamur, omni ex parte facile suaderemur cunctas illas potentias aut mere stimulantium aut saltem rheumaticarum indolem praeseferre, quod unum tandem et idem haberi solet. Illae quidem excipiendae videntur, quas ex abusu nutrimantorum a calcaribus principiis scatentium desumptas, specificas veluti podagrae cau-

sas esse contenditur; sed ultimus sane earum effectus exceptionem hanc plane refellit. Quoad causas ideo nullum fere saltem notabile arguitur discrimen inter arthritidem aut podagram generaturas.

Verum cur ista pedes primitus, ac majorem potissimum horum digitum obsidens manifestatur? Animadvertendum hic edocemur ab experientia partialem quoque non semel arthritidem gigni, et totum plane ejus decursum absolvi, quin ceteras corripiat articulationes. Arthritidem porro hoc eodem signo praenunciari, praeter ea quae a scriptoribus referuntur, exemplum aegri nostri curati satis confirmat. Praeterea cum organorum conformatio et structura pro causa eminenti proegumena ad illorum morbos procreandos habenda sit juxta praecepta pathologiae, ex quo mirari non licet ex. gr. apoplexia enecari qui habitu uno verbo apoplectico, phthisica labe consumi qui habitu phthisico etc. insigniuntur; habitus quoque arthriticus et podagrosus in ossium quidem et articulorum structura atque conformatione situs, ut supra monuimus, rationalem hujusce phaenomeni explicationem exprometre valet. Sicuti enim cephalica alteri, alteri pulmonica pro qualibet irrepente causa, mala solent depromere signa; ita et podagrici aut arthritici qualiscunque nocentis potentiae effectum in ossium systemate et articulorum determinatum accusant. Illorum namque morbosus habitus in ossium systematis ac in systematis ossa revincientis excitabilitate juxta ma-

jori, prae ceteris organismi partibus consistit. Quaenam igitur organismi pars, praeter artuum inferiorum extremitates, potentiis et quidem nocentioribus objici solet? Magis ideo atque magis in illa prae omnibus parte acuitur dispositio ad articulorum adfectionis evolutionem praebendam. Praefert autem adfectio de qua sermo est, majoris digiti articulos ab initio corpore, ex ee probabiliter quod super ipsum vel prope ipsum digitum, totius corporis pondus sustentandi aut in statione aut in incessu dirigendo, officium exerens fulcrum adest. Quid mirum itaque si hac in infima parte priora cum sensu doloris signa expromantur, quae podagrae non minus quam arthritidis evolutionem praenunciant?

Pervicax autem istiusmodi dolor perseverat modo mitior, modo saevior antequam morbus penitus evolvatur, aut etiam evanescit interdum aut aerius redit propter a causis occasionalibus cautionem aut illarum amotionem. Lente autem procedit saepius, et tardius etiam in scenam prodire solet, eo quia cum textus albi ita dicti partem constituunt, textibus hisce potestas inest influxui causarum stimulanti serius obsistendi: conceptum vero et ulterius processum phlogisticum instauratum serius itidem et fere nunquam perfecte resolvendi.

Cartilagines enim, ut antea diximus, capsulae articulares, aponevroses, tendines et ligamenta, aegrius sanguinis fluxum admittunt, sed semel admisso aegrius pariter ad pristinum statum redu-

cuntur. Quapropter initio dum fluxus violenter cietur, vasa minima et quidem humori rubro impervia, dilatationi tandem sensim sensimque illatae cedere debent et sanguinis quantitatem recipere majorem quam par est. Cum in intimis hoc eveniat partibus articulos constituentibus, unde provenit absque dubio minimarum propaginum nervosarum compressio, distensio, interceptio, quae vario dolorifico sensu percipiuntur ab aegro, aequo et simili gradu incedente ad magis externas partes sanguinis fluxu, arteriae quae prius nequaquam, tum pulsationem emittunt, venae dilatatae, crassiores, turgidae quae prius visu sufugiebant aut minimae vix cerni poterant, adparent. Tendinosae insuper atque aponevroticae productiones quae capsulis adhaerent aut vaginas continuant, eundem effectum nequeunt abludere: aponevrosium inde constrictio quae per continuitatem ulterius desuper communicatur, et totum artum et ultra varia tamen perceptione depromitur. Musculi quorum fasciculos tela ab aponevrosi producta revincit, compati hac ratione videntur, dumque eorum pars altera fugaces citosque motus edere cogitur, altera indolenti tempore modo, modo nimia irritatione ob consensum corripitur. Crampus idcirco, pondus grave totius artus aut pedis, spasmi intime subitanei brevesque, motus voluntarii intercepti, aut ligationis, contorsionis, compressionis sensu aut dolorifico per majorem voluntatis reniaum invite perfecti. Nervorum patiter decursum, qui ab extremitatis apice una cum vasis sangui-

nem illuc desuper ferentibus ac referentibus diriguntur, sed praecipue qui cum dermaticis propaginibus copulantes se invicem inter aponevroses artus et cutem ad propriam derivationem procedunt, comitatur illa sensatio quae ab aegris cum similitudine venti subtus cutem repentis aut aquae desuper decurrentis manifestatur.

Quorum symptomatum vaga et inconstans adparitio, atque unius in alterum celeris commutatio, interrupta successio, brevis decursus aut periodicitas quaedam specialis, quae omnia in podagrico antequam morbi accessus ingruat, observantur, statum illum in parte morbo adficienda videntur designare, quem mox aut iisdem temporibus universale etiam excitamentum ostendit.

Praecedere itaque observatio debet, quod in hisce individuis causa veluti occasionalis proxima ad haec parienda signa podagrae prodroma, error praecipue diaeteticus aut rheumatica perturbatio recensetur. Quae utique turbas in canali gastroenterico parere perquam potissimae sunt; nec dubitandum. Nil mirum igitur quod et universalis excitamenti turbae ac illius organi qualicumque adfectione repetendae, localibus symptomatibus quoad tempus respondeant. Immo putandum potius videtur symptomata haec ab illis non tam abesse, ut plane sejuncta ab aegris habeantur.

Localia vero symptomata singillatim in eo tantum casu haberi posse concedimus, cum adfectio a causa occasionali dumtaxat topica evoluta est, eo tamen gradu in quo nec genericum excitamen-

tum valet afficera, et in quo amotis reapse causis et ab alis cavendo curatu facilis est: qua ratione dolorem digiti aliquando novimus fugatum esse. Verum cum aut haec topica adfectio talem partialis excitamenti turbam constituit, ut in similem conditionem universale etiam trahere sufficiat, aut cum causa occasionalis unius et alterius eodem tempore turbam concivit, quod, ut neotericorum verbis utar, aut irritativam conditionem aut diathesim hypersthenicam, in universum semper, efficit; tum localia prodroma absque prodromis universalibus etiam inobservatis existere nequeunt. Quod nempe singulum vel a causa occasionali ex energicis et cito effectus suos exerentibus, vel ex lentae et protractae actione et influxu dependet.

Utcumque porro canalis alimentaris prodroma, in quo generalis excitamenti turbae potissimum pronunciantur, localia antecedere, comitari aut mox sequi conjiciendum est rite, ut inde diathesis hypersthenicae symptomatibus locum cedant. Anorexia nimirum in scena sistitur et alvus obstipa, modo aeris evolutio, modo tumens abdomen, nunc ardor ventriculi, nunc fames mordax, continuus tandem malus internus habitus universalis.

Haec tamen pariter ac localia, praeter illud extremum, inconstanti ac versatili charactere insigniuntur: ex quo, dummodo eorum congeries et summa, aut qua talis perstaret, aut qua talis evaneaceret, cum causa excitans (si amoveri potest) amota fuisset, idea illius conditionis morbosae

exsurgit, quae a neotericis irritativa conditio nuncupatur. Sed cum causa occasionalis aut energica irruens aut lente agens, maxima in individuis praedispositione inventa, amoveri hoc in stadio amplius non possit, et cum immo jam illa symptomata cum generalia tum topica alium, permanentem scilicet, characterem inducere non adeo immorentur, irritativae statim illius conditionis delabitur argumentum: ideoque opus plane videtur, haec sicuti illa prodroma morbi signa, conditionem alius characteris praeseferre, diathesim nempe et quidem hypersthenicam, ut mox patebit, quae symptomata idcirco cum prodroma reapse dicta fuerint, aliis neotericorum verbis melius exprimi nescio quam iis quae celeberrimus Italus indicat: *I primi passi all'infiammazione*.

Et re quidem vere mox symptomatum ingruit adparatus, apparatui morbi illius cujus indoles inflammatoria extra dubium posita est, arthritidis nempe acutae, penitus vix non similis.

Frigore praeeunte febris valida irruit cum pulsu pleno, duro ac tenso, quae continuum servat typum cum exacerbationibus nocturnis ac remissione matutina, in qua sudores apparent, ac urinae rubrae hypostaticae mittuntur.

Tum pars quae prodroma indicia edidit, pathologicae conditionis morbi evidenter fit sedes: haec est enim de qua maxime dolet aegrotus. Nec solum in articulo apprime correpto adfectio tum saevit, sed et proximos etiam distorquet. In illo autem fortiores insurgunt dolores et perseverant,

sub febris violentia pars inde tumet ex adfluxu majori; unde rubor et calor eminens proficiscitur: immobilitas tandem partis succedit, cujus ad omnes non modo articulos, verum etiam ad proximos, si a pedibus ad genu et ad coxendices, si ex manibus ad cubitum et prope scapulas, dolores pariter propagantur.

Quaenam ideo dissimilitudo hic inter podagram atque inter arthritidem, cum eadem possit esse causa excitans, eadem sit conditio pathologica, eadem forma morbosa, eadem diathesia hypersthenica? Nec arbitrandum esse censemus quod a doloris ex uno in alium artum successione, manente accessu podagroso, neque a repetitione ejusdem accessus una cum brevi aut longo intervallo, essentialis hujusce morbi ab arthritide constituatur. Etenim in artritidis quoque processu, major utique ab aegris accusatur doloris modo hic, modo illic sensatio, quamquam in toto ejus decursu numquam dolorihus sint expertes, et dolorum reliquiae cum motus impedimento etiam post febrim victam maneant evanescentes. Denique cum in repetitione accessus podagrae, ejusdem sane formae morbosae fiat repetitio, quid mehercule arguendum, nisi quod totidem recidivae compareant? Quae si brevi sese intercunte spatio excipiant, hoc potius quam a ceteris causis, a natura partis adfectae inflammatu difficilis difficiliorisque curatu, repetendum esse censemus. Quis enim inter processus organico-animalis morbosos majorem ad sui reproductionem dispositionem re-

linquit, quam phlogoseos processus quae majorem quam vulgo creditur, etiam ideo morborum conficit classem? Clarius igitur argumentum exsurgit podagrae cum arthritide et quoad indolem similitudo.

Neque quoad durationem minus clare innotescet nullum fere discrimen inter arthritidem et podagram interesse, cum nostris oculis reapse viderimus diuturnitatem accessus in aegro curato quadraginta diebus et amplius contigisse. Praetermittendum insuper non est, quod et arthritis aliquando lente decurrens annos potest insumere antequam aut (quod rarum est) resolvatur, aut aliquem indoli suae non modo, sed et naturae partis adfectae proprium exitum edat; qua in circumstantia quisnam ex supradictis propter indolem, formam et conditionem pathologicam hunc morbum ab illo quem nimis strictim podagram et quidem habitualem adpellant, discrepare contendet?

Restat interim adhuc ut aliquid de morbi exitu addamus. Utrique communes exitus esse, ex mitioribus exsudationem in cavitate articulorum, parietum incrassationem, partium mollium indurationem, ex pejoribus vero anchylosim, substantiae novae, aut intua liberae aut adhaerentis efformationem, externarum partium inflammationem cum aliis exitibus, ossium capitulorum ulcerationem etc. experientia edocemur; omnes tamen reliquias plus minusve aerumnosas ac pro partis functione paene omnino fatales. Resolutio autem numquam

aut fere numquam in parte adfecta contingit: arthritis tamen dummodo longo temporis spatio, chronicae in morem non perduraverit, ac in individuo aliunde sano convenienti methodo curationis fuerint debellata, excepta praedispositione quam linquit, penitus resolvi haud raro visa est.

Quoad exitum vero prae omnibus pessimum atque citum quem in podagricis aetate plerumque provectis et in arthritide ferocissima interdum accidere scimus, interitum vitae irrevocabilem esse ac fatalem ejusdem processus phlogistico-hypersthenici exitum monet necroscopia. Ultimo enim aut repetito, aut violento sub morbi accessu, aliquod ille organon aut viscus ex vitae necessariis satis dispositum obsedisse ejusque vitam e medio sustulisse cernitur. Praetarea alios effectus etsi lentos, tamen non minus lethales eadem ratione gigni sub aliis circunstantiis non mirabimur. Et quidem aut systema sanguiferum aut absorbens lymphaticum, aut cerebri oeconomiam, aut visceris nobilioris pectoris vel abdominis, vel ipsius medullae spinalis, lente sed propius adgressus proprios edit serotinos exitus, aut febres hecticas ita dictas, aut haemorrhagias, aut hydropes, aut apoplexiam, aut phthisicam cujusvis praecipui visceris labem.

Tandem si curationis methodos in podagra propositos ac institutos inspiciamus, tantam remediorum farraginem ab ipsis practicis modo inefficaciae, modo contradictionis redargutorum (ultro fatendum est) hinc scatere invenimus. Plerique

tamen in aliqua ipsorum classe indicanda conveniunt, et exceptis nonnullis qui sequentibus stimulantia vera praescribi putarunt, quorumque saepius, ipsis testibus, poenituit, omnes pharmaca ex purgantibus, emeticis, drasticis, diaphoreticis, et quidem sanguinis emissiones celebrarunt.

Ex quibus omnibus quocumque modo enunciatis conjicere tandem licebit, quod a causis vitalem processum excitantibus, ex symptomatibus naturae phlogistico-hyperesthenicae et ex methodo curationis quae ad illam uno verbo sitam deprimentem reducitur, essentialiter arthritis ab illo morbo, quem ajunt podagram, minime differt. Quod si aliquod minoris momenti ex. gr. in forma morbosa aut decursu referatur discrimen, illud a medico-pathologo minoris item pretii rite faciendum fore concluditur.

Non inutile sane foret, medendi methodo activa, cujus specimen cum fausto exitu supra notandum curavimus, dum de arthritide acuta singillatim sermo habitus est, prophylacticam hic et quae pro lenta conferat, non minus quam pro morbo simili judicato enucleatim ac magistris sentientibus subjugari: indeque finem verbis imponam.

Caveant igitur, qui habitu congenito aut acquisito praedisponuntur, a motu immodico potissimum pedestri, ab exercitationibus violentis, a cursu, a chorea et similibus, nec non a calceamentis angustioribus et strictioribus ligaturis prope articulationes et praesertim pedum. A vicissitudinibus

meteoricis aptis vestibus se tueantur, e a calore ad frigus et viceversa caveant ne totum corpus sic ut extremitates inopinate transeant. Istae praecipue a frigore humido tutae sint. Cutaneam igitur perspirationem quacumque ex causa ne supprimant. A nimia pariter exercitatione corporis ac a nimia vitae desidia abstineant. Victus sit medicus digestuque facilis potibusque vinosis moderatissime utantur, et alkoolicis valedicant. Ab indigestionibus praemuniantur aut statim consulant, non secus ac a rheumaticis quibuslibet adfectionibus: sic plethoricae conditioni opportuna citoque occurrant. Animi insuper, quantum possunt obstantes pathematibus, quietem servare studeant, Venerisque illecebris cautissime indulgeant.

Quod si quacumque ratione ex inobservantia supradicti regiminis symptomata illa quae prodroma nominavimus, in scenam prodeant, dummodo stricte, non sint plane topica, ad exactiorem illius regiminis observantiam, et mox ad aliqua remedia confugiendum est, quae progressus et evolutionem phlogisticae invasionis ab initio statim impediant. Purgantia ideo cathartica indicantur non ut podagricum aut artbriticum expellant humorem, sicuti veteres opinabantur, sed ut processus phlogoseos invadentis turbas compescant. Neque dein praetermittatur aliqua venae sectio, neque activa pharmaca ex antimonialibus quidem mitioribus dosi refracta. Hisce oculis egomet vidi, et quidem in aegris mihi carissimis, saepe venae sectionis auxilio, generalis modo, modo

784

topicae, levamen in morbo diuturno obtentum fuisse, quod ab aliis remediis prius neglectis in pertinaciam aut in majus vertebatur damnum.

Ast cum saepissime aegri ad artem confugiant tum cum morbus formam penitus induit, deque diathesi nullum liceat dubium proferre, methodum curationis aliam tunc in usu ponendam esse arbitramur, ab ea quae supra aegrum acuta arthritide laborantem ab illustri prof. Federigo instituta, ac initio harum animadversionum enucleatim recensita est, juxta rerum sane circumstantias modificanda, nec eadem certe cum faustissima prognosi proferenda.

THESES DEFENDENDAE

I.

Processus phlogisticus lente decurrens saepe symptomatibus quae hyposthenicam indolem praeseferunt, ansam praebet.

II.

In infantium morbis non semper curari debent lactantes mulieres.

III.

In longo morbi decursu symptomati vago nulla fides.

IV.

Ante vulnerati mortem nullum vulnus tamquam lethale dijudicandum, et tunc vel necessario, vel per accidens lethale.

V.

Conditione pathologica priori manente, diathesis hyperstbenica alteram pathologicam conditionem gignere potest.